

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XXXVI

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

niose. prophetas audi. lego audi qui ante dñm uenerunt; habemus in
 quit apostolus p̄rus certiosem propheticum sermonem. cui beneficiis
 attendentes sicut lucernae in obscuro loco, donec dies luceat & lucifer oria
 tur in cordibus uestris; quando ergo dñs ih̄s xp̄s uenerit, & sicut dicit & iam
 apostolus paulus. in luminauerit occulta tenebrarum & manifestauerit co
 gitaciones cordis ut laus sit unicuiq; ad d̄. Tunc praesentetal die lucernae
 non erunt necessariae; non legatur nobis propheta, non aperitur codex
 apostoli. non requiramus testimonium iohannis. non ipso indigebimus e
 uangelio; ergo omnes scripturae tollentur de medio, quae nobis in huius sae
 culi nocte tamquam lucernae accendebantur ne in tenebris remaneremus;
 istas omnibus sublatis ne quasi nobis luceant indigentibus, & ipsis hominibus d̄
 per quos haec ministrata sunt nobiscum lumen illud uerum clarumq; uiden
 tibus; remotis ergo his adiumentis, quid uidebimus unde pascatur mens nostra
 unde obtutus ille luxabitur. unde erit illud gaudium quod nec oculus uidit.
 nec auris audiuit. nec in cor hominis ascendit. quid uidebimus, obsecro uos
 amate mecum. currite credendo mecum, patriam supernam desideremus.
 supernae patriae suspiremus. peregrinos nos esse hic sentiamus; quid tunc
 uidebimus, dicat nunc euangelium. In principio erat uerbum & uerbum erat
 apud d̄m & d̄s erat uerbum; Unde tibi ros, in persus est ad fontem uenies, un
 de radius per obliqua & per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est.
 Quidam ipsam lucem uidebis, cui uidendae, ferendaeq; mundaris; Dilectissi
 mi, quod & hesternis commemorauit. iohannes ipse dicit, filii d̄i sumus & non
 dum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit similes ei erimus.
 qñm uidebimus eum sicuti est; sentio, uestros affectus ad tolli mecum in
 superna, sed corpus quod corrumpitur ad grauat animam. & deprimit ter
 rena inhabitatio sensum multa cogitantem; Depositorus sum & lego codice
 istum, discessuri estis & uos, quisq; ad sua; bene nobis fuit in luce communi.
 bene gauisi sumus, bene exultaui, sed cum ab inuicem recedimus, ab illo
 non recedamus, **EXPLICIT SERMO XXXV INCIPIT XXXVI**
AB EO QUOD DICTUM EST VOS SECUNDUM CARNEM IU
DICATIS EGO NON IUDICO QUEM QUAM USQ; AD IO UBI SIT
EGO SUM QUI TESTIMONIUM PERHIBEODE ME IPSO ET
TESTIMONIUM PERHIBET DE ME QUI MISIT ME PA
TR
In quattuor euangelis, uel potius quattuor libris unius
 euangelis, sc̄s iohannes apostolus non in merito secundum intellegen
 tiam spiritalem aquilae comparatus, altius multoq; sublimius aliis trib;
 erexit praedicationem suam, & in eius erectione & iam corda nostra erigi

uoluit; Nam ceteri tres euangelistae tamquam cum homine dño in terra ambulabant, de diuinitate eius pauca dixerunt; Iste autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis in tonitruo, erexit se non solum super terram, & super omnem ambitum aeris & caeli, sed super omnem &iam exercitum angelorum, omnemq. constitutionem inuisibilium potentum, & peruenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo. In principio erat uerbum & uerbum erat apud dñm & dñs erat uerbum, hoc erat in principio apud dñm, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil, huic tantae sublimitati principii &iam cetera congrua praedicauit, & de dñi diuinitate quomodo nullus alius est loquutus, hoc ructabat quod biberat, non enim sine causa de illo in ipso isto euangelio narratur, quia & in conuiuio super pectus dñi discumbebat, De illo ergo pectore in secreto bibebat, sed quod in secreto bibit, in manifesto eructauit, ut perueniat ad omnes gentes non solum incarnationis filii dñi, & passio, & resurrectio, sed &iam quid erat ante incarnationem unicus patri uerbum patris coeternus generanti, aequalis ei a quo missus est, sed in ipsa missione minor factus, quo maior esset pater, quid quid ergo humiliter positum audistis de dño ihu xp̄o, susceptae carnis dispensationem cogitate, qualis factus est propter nos, non qualis erat ut faceret nos; quid quid autem sublime, & supra creaturas omnes excelsum atq. diuinum & patri aequale atq. coeternum. De illo audieritis in euangelio poni uel legeritis, scitote uos hoc legere quod ad formam dei pertinet, non quod ad formam serui, quia si istam regulam tenueritis quae capere potestis, non autem omnes capere potestis, sed omnes credere debetis; Si ergo hanc regulam tenueritis aduersus calumnias tenebrarum hereticarum tamquam in lumine ambulantes securi pugnabitis; non enim defuerunt qui sola euangelica testimonia legendo sectarentur, quae de humilitate xp̄i posita sunt, qui aduersus ea testimonia quae diuinitatem eius loquuta sunt, surdi fuerunt, ideo surdi ut male uerbosi; Item quidam illa sola attendentes quae de dñi sublimitate dicta sunt, &iam ipsi misericordiam eius qua homo factus est propter nos, & si legerunt non crediderunt, & ab hominibus inducta atq. falsa esse putauerunt, contententes dñm tantum modo fuisse dñm nostrum xp̄m, non &iam hominem, alii sic alii sic, utriq. in errore, catholica autem fides ex utroq. uerum tenens quod tenet, & praedicans quod credit, & dñm xp̄m, intellexit, & hominem credidit, utrumq. enim scriptum & utrumq. uerum est; Si dñm tantum dixeris xp̄m, medicinam negas qua sanatus es; Si hominem tantum dixeris xp̄m, potentiam negas qua creatus es; Utrumq. igitur tene anima fidelis, & cor catholicum; Utrumq. tene, utrumq. crede, utrumq. fideliter confitere, & dñs xp̄s est.

& homo xpi; qualis dñs xpi; aequalis patri unum cum patre; qualis homo xpi; de uirgine natus. trahens de homine mortalitatem. non trahens iniquitatem; Iste ergo iudaei uidebant hominem. nec intellegebant nec credebant dñm; atq; inter cetera audistis iam quem admodum eidixerint. Tude te testimonium dicis. testimonium tuum non est uerum; audistis & iam quid ille responderit cum hesterno die lectum esset. & pro nostris uiribus disputatum; hodie uerba eius haec lecta sunt. Uos secundum carnem iudicatis. ideo inquit mihi dicis. Tude te testimonium dicis. testimonium tuum non est uerum; quia secundum carnem iudicatis. quia dñm non intellegitis. & hominem uidetis. & hominem persequendo dñm latentem offenditis. ergo secundum carnem iudicatis. ideo uobis adrogans uideor. quia ego de me testimonium perhibeo. Omnis enim homo quando de se perhibere uult testimonium laudabile. adrogans & superbus uidetur. ideo scriptum est. non te laudat os tuum. sed laudat te os proximi tui; sed hoc homini dictum est; infirmus enim sumus. & apud infirmos loquimur. uerum dicere & mentari possumus. & si uerum dicere debemus. mentari possumus cum uolumus. Lux mentari non potest; absit ut in lucis diuinae splendore tenebre mendacii repperiantur; loquebatur ille tamquam lux. loquebatur tamquam ueritas; sed lux in tenebris lucebat & tenebrae eam non comprehenderunt. ideo secundum carnem iudicabant; Uos inquit secundum carnem iudicatis. ego non iudico quemquam; non ergo iudico quemquam dñs ih̄s xpi;. nonne ipse est quem confitemur resurrexisse tertio die. ascendisse in caelum. ibi sedere ad dexteram patris. inde esse uenturum ad iudicandos uiuos & mortuos. nonne ipsa est fides nostra. de qua dicit apostolus. corde creditur ad iustitiam. ore confessio fit ad salutem; ergo quando ista confitemur. contra dñm loquimur; nos dicimus uenturum iudicem uiuorum & mortuorum. ipse autem dicit. ego non iudico quemquam; quae ratio ista duobus modis solui potest. ut aut hoc intellegamus. non iudico quemquam. id est modo. sicut dicit alio loco. ego non ueni ut iudicem mundum. sed ut saluum faciam mundum. non iudicium suum negando sed differendo. aut certe quia dixerat. uos secundum carnem iudicatis. ita subiunxit. ego non iudico quemquam. ut sub audias secundum carnem; nullus ergo nobis contra fidem quam tenemus. & adnuntiamus de iudice xpo scrupulus dubitationis in corde remaneat; uenit xpi; sed primo saluare. postea iudicare. eos iudicando in poenam qui saluari noluerunt. eos perducendo ad uitam qui credendo salutem non respuerunt; Prima ergo dispensatio dñi nri ih̄u xpi; medicinalis est. non iudicialis; nā si primo uenisset iudicaturus. neminem inuenisset cui premia iustitiae

^{peccatorq.}
 redderet; quia ergo uidit omnes & omnino neminem esse in munem amor
 te peccati. prius erat eius misericordia praeroganda. & post exserendum
 iudicium, quia de illo cantauerat psalmus. misericordiam & iudicium canta
 bo tibi dñe; non enim ait. iudicium & misericordiam; nam si primo effectudi
 cium. nulla esset misericordia; sed primo misericordia. postea iudicium, quae
 est primo misericordia. creator hominis homo esse dignatus est, factus est
 quod fecerat. ne periret & quem fecerat; quid huic misericordiae addi potest.
 & tamen addidit, parum fuit ei hominem fieri. sed & iam ab hominibus re
 probari. parum erat reprobari & ex honorari. parum erat ex honorari &
 occidi. sed hoc parum est morte crucis; nam & cum ei oboedientiam usq.
 ad mortem factam commendaret apostolus. parum illi fuit dicere. factus
 oboediens usq. ad mortem. non enim qualē cumq. mortem. sed addidit.
 mortem autem crucis; illa morte peius nihil fuit. inter omnia genera mo
 rientium; Deniq. ubi dolores acerrimi exagitant. cruciatus uocatur a cruce
 nominatus; pendentes enim in ligno crucifixi. clauis ad lignum pedibus.
 manibusq. confixi. producta morte necabantur; non enim crucifigi hoc erat
 occidi. sed diu uiuebatur in cruce. non quia longior uita eligebatur. sed quia
 mors ipsa protendebatur. ne dolor citius finiretur; mori uoluit pro nobis.
 parum dicimus. crucifigi dignatus est. usq. ad mortem crucis oboediens fac
 tus. elegit extremum & pessimum genus mortis. qui omnem fuerat ablatu
 rus mortem. De morte pessima. occidit omnem mortem; pessima enim
 erat. non intelligentibus iudaeis. nam ad dño electa erat; ipsam enim cru
 cem suam signum habiturus erat. ipsam crucem de diabolo superato tam
 quam tropheum in frontibus fidelium positurus. ut diceret apostolus.
 Mihi autem absit gloriari nisi in cruce dñi nostri ihu xpi. per quem mihi
 mundus crucifixus est. & ego mundo. nihil erat tunc in carne intolerabili
 us. nihil est nunc in fronte gloriosius; quid seruat fidei suo. qui talem ho
 norem dedit supplicio suo. Deniq. modo in poenis reorū. non est apud
 romanos; ubi enim dñi crux honorata est. putatum est quod & reus hono
 rar & si crucifigeretur; qui ergo ideo uenit. neminem iudicauit. s; malis
 passus est. pertulit iniustum iudicium ut ageret iustum. sed in eo quod
 pertulit iniustum. misericordiae fuit; Deniq. ita humilis factus ut ueniret
 ad crucem. distulit quidem potentiam. sed publicauit misericordiam; un
 de distulit potentiam. quia de cruce noluit descendere. qui potuit de se
 pulchro resurgere; unde publicauit misericordiam. quia pendens in
 cruce dixit; pater ignosce illis. quia nesciunt quid faciunt; siue ergo prop
 ter hoc quia non uenerat iudicare mundum. sed saluare mundū. Dixit.

ego non iudico quemquam, siue quem admodum commemorauit, quoniam dixit
 rat. uos secundum carnem iudicatis, addidit. ego non iudico quemquam,
 ut intellegamus christum non secundum carnem iudicari, sicut ab hominibus iudi-
 catus est; nam ut cognoscatis iam & iudicem christum? audite quod sequitur, & si
 iudico ego, iudicium meum uerum est; ecce habes & iudicem, sed agnosce sal-
 uatorem, ne sentias iudicem; quare autem dixit iudicium suum uerum esse,
 quia solus inquit non sum, sed ego & qui me misit pater; dixi uobis fratres, quia
 iohannes iste euangelista sanctus multum alte uolat, uix est eum mente compre-
 hendere; mysterium autem altius uolans, opus est ut commemore carita-
 tem uestram, & apud ezechielem prophetam & in apocalypsi ipsius iohannis
 cuius est hoc euangelium commemoratur, animal quadruplex habens quat-
 tuor personas, hominis, utuli, leonis, aquilae; & ante nos scripturarum
 sanctarum mysteria tractauerunt. plerique in hoc animali uel potius in his ani-
 malibus, quattuor euangelistas intellexerunt, leonem pro rege positum, quoniam
 leo uidetur rex esse quodam modo bestiarum propter potentiam & terribi-
 lem fortitudinem; haec persona tributa est mattheo, quia in generationibus
 domini regiam seriem persequutus est, quem admodum esset dominus per stirpem
 regiam de semine dauid regis; Lucas autem quoniam coepit a sacerdote zacha-
 riae sacerdotis, faciens mentionem patris iohannis baptistae, utulo deputatus
 est, quia magna uictima utulus erat in sacrificio sacerdotum; marco homo
 christi merito adsignatus est, quia neque de regni potestate aliquid dixit, neque de
 sacerdotali coepit, sed tantum ab homine christo exorsus est; huius omnes prope
 de terrenis, id est de his quae in terra gessit dominus noster ihesus christus non recesserunt
 de diuinitate eius per pauca loquuti sunt, tamquam in terra cum illo am-
 bulantes; restat aquila, ipse est iohannes sublimium praedicator, & lucis in-
 terna atque aeternae fixis oculis contemplator; dicuntur enim & pulli aquilarum
 a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radius solis opponi,
 qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur, si acie palpitauerit, tam-
 quam ad ulterius ab ungue dimittitur; Jam ergo uide quam sublimia
 loqui debuit qui est aquilae comparatus, & tamen & iam nos humo repen-
 tes infirmi, & uix ullius momenti inter homines audemus tractare ista, &
 ista exponere, & putamus nos aut capere posse cum cogitamus, aut capidum
 dicimus; quare ista dixi, forte enim post haec uerba quisquam mihi iuste
 dicit, pone ergo codicem, quod excedit mensuram tuam, quid sumis in manu
 tuam, quid ei committis linguam tuam, ad hoc respondeo; multi heretici
 abundant, & ad hoc eos deus abundari permisit ne semper lacte nutriamus,
 & inbruta remaneamus infantia; quia enim non intellexerunt quomodo

commendatur diuinitas xpi, sapuerunt sicut uoluerunt, non autem recte
 sapiendo fidelibus catholicis quaestiones molestissimas intulerunt. Coepe-
 runt ex agitate & fluctuare corda fidelium; iam tunc necessitas facta est
 spiritalibus uiris, qui aliquid secundum diuinitatem dñi nri ihu xpi non solu
 legerant in euangelio, sed & iam intellexerant, ut contra arma diaboli xpi ar-
 ma proferrent. & de xpi diuinitate aduersus falsos fallacesq. doctores quan-
 tis possent uiribus aperatissima conflictatione pugnarent, ne cum ipsi tace-
 rent, alii perirent; quicumq. enim senserint dñm nostrum ihm xpm aut
 diuersae substantiae esse quam pater est, aut tantum esse xpm solum, ut ip-
 se sit pater, ipse sit filius, ipse sit sps scs, quicumq. & iam sentire uoluerunt
 hominem fuisse solum, nondm factum hominem, aut itadm ut in sua diuini-
 tate mutabilem, aut itadm ut non & hominem, a fide naufragauerunt, & de
 portu ecclesiae proiecti sunt, ne iniqua & uine sua nauis secum posita frange-
 rent, quae res coegit ut & iam nos minimu, & quantum ad nos pertinet prorsus
 indigni, quantum autem ad illius misericordiam in aliquo dispensatorum
 eius numero constituti, non uobis taceamus quod aut intellegatis, mecumq.
 gaudeatis, aut si intellegere nondum ualatis, credendo securi in portum ane-
 xis; Dicam ergo capiat qui potest, credit qui non potest, tamen dicam quod
 ait dñs. Uos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam, aut
 modo, aut secundum carnem, sed & si ego iudico, iudicium meum uerum est,
 quare iudicium tuum uerum est, quia solus non sum inquit, sed ego & qui me
 misit pater; Quid ergo dñe ihu, si solus esses, falsum esset iudicium tuum, &
 ideo uerum iudicas, quia solus non es, sed tu & qui te misit pater, quid respon-
 surus sum, ipse respondeat, uerum est inquit iudicium meum, quare, quia solus
 non sum, sed ego & qui me misit pater; si tecum est, quomodo te misit, & misit te
 & tecum est, itane & missus non recessisti, itane & ad nos uenisti & ibi mansisti,
 quomodo istud creditur, quomodo capitur, ad haec duo respondeo, quomodo
 capitur, recte dicis, quomodo creditur, non recte dicis; Immo ideo bene credi-
 tur, quia non cito capitur, nam si cito caperetur, non opus erat ut crederetur,
 quia uideretur; ideo credis, quia non capis, sed credendo fis idoneus ut capias;
 nam si non credis, numquam capies, quia minus idoneus remanebis; fides ergo
 mundat te, ut intellectus impleat te, Uerum est inquit iudicium meum, quia
 solus non sum, sed ego & qui me misit pater, ergo dñe dñs noster ihu xpe, mis-
 sio tua incarnatio tua est, sic uideo, sic intellego, postremo sic credo, ne adro-
 gantie sit dicere, sic intellego, prorsus & hic est dñs noster ihu xps, immo hic
 erat secundum carnem, modo hic est secundum diuinitatem, & cum patre erat
 & apate non recesserat; quod ergo dicitur missus uenisse ad nos, incarnatio

ipsius commendatur. quia pater non est incarnatus; nam sabelliani dicti sunt
 quidam heretici qui uocantur & patri passiani. qui dicunt ipsum patrem fuisse pas-
 sum; noli tu catholice; si enim fueris patri passianus. non eris sanus; ergo intelle-
 ge missionem filii nominatam incarnationem filii. patrem autem incarnatum
 esse non credas. sed a filio incarnato patrem recessisse non credas; ille carnem
 portabat. ille cum filio erat; si in caelo pater. in terra filius. quomodo pater cum
 filio erat. quia & pater & filius ubiq. erant. Non enim in caelo sic est dñs. ut non sit
 in terra; Audi illum qui uolebat fugere iudicium dñi. & non inueniebat qui quo ab-
 bo inquit a spū tuo. & a facie tua quo fugiam. Si ascendero in caelum tu ibi es.
 De terra erat quaestio. Audi quid sequitur; si descendero ad infernum ades;
 Si ergo & in inferno dicitur quod adsit. quid rerum remanet ubi non sit. Uox
 enim dī est apud prophētā. caelum & terram ego impleo; ubiq. ergo est qui
 nullo clauditur loco; noli ab illo auertere. & tecum est; si uis ad eum peruenire.
 noli piger esse amare; non enim pedibus sed affectibus curris. in loco manens.
 uenis si credis. & diligis; ergo ubiq. est; si ubiq. est. quomodo cum filio non est.
 ita ne cum filio non est. qui si credis. & tecum est. Unde ergo uerum est iudiciū
 eius. nisi quia uerus est filius. hoc enim dixit. & si iudico. uerum est iudicium me-
 um. quia solus non sum. sed ego & qui me misit pater. tamquam diceret. uerum
 est iudicium meum. quia filius dī sum; Unde probas. quia filius dī es. quia solus
 non sum. sed ego & qui me misit pater; Erubescere sabelliane. audis filium. audis
 patrem; pater pater est. filius filius est; non dixit. ego sum pater. & ego ipse sum
 filius. sed solus non sum inquit; quare solus non es. quia mecum est pater. ego
 sum. & qui me misit pater; audis ego sum. & qui me misit; ne perdis personam
 distingue personas. distingue intelligentias. noli separare perfidia. ne iterū
 quasi fugiens charibdim. in scillam incurras; uorabat enim te gurgis impietatis
 sabellianorum. ut diceret ipsum esse patrem qui est filius; modo didicisti.
 solus non sum. sed ego. & qui me misit pater; agnoscis quia pater pater est. & filius
 filius est. bene cognoscis. sed noli dicere. pater maior est. filius minor est; noli
 dicere. pater aurum est. filius argentum; una substantia est. una diuinitas.
 una coaeternitas. perfecta aequalitas. dissimilitudo nulla. nam si tantum modo
 alterum credideris esse xpm. noneum qui pater est. in aliquo tamendistantem
 secundum naturam esse putaueris. a charibdi quidem euasisti. sed in scilleis
 scopulis naufragasti. in medio nauiga. utrumq. periculosum latus euita. pater
 pater est. filius filius est; iam dicis. pater pater est. filius filius est. bene pericu-
 lum absorbentis gurgitis euasisti; quid uis iste in alteram partem. ut dicas pater
 aliud est. filius aliud. alius. recte dicis. aliud non recte; alius enim filius. quia nō
 est ipse qui pater. & alius pater. quia non ipse qui filius. non tamen aliud. sed hoc

ipsum est & pater & filius; quid est hoc ipsum est. unus dñs est; audisti quia
 non sum solus, sed ego & qui me misit pater; audi quomodo credas patrē & fi-
 lium. audi ipsum filium; ego & pater unum sumus; non dixit. pater ego sum.
 aut ego & pater unus est. sed cum dicit. ego & pater unum sumus. utrumq. audi.
 & unū, & sumus; & a carybdi & abscilla liberaberis; In duobus istis uerbis quod di-
 xit unum liberat te ab artio. quod dixit sumus. liberat te a sabellio; Si unum
 non ergo diuersum. si sumus. ergo & pater & filius; sumus enim non dicit & de
 uno. sed unum non dicit & de diuerso; Ergo ideo uerum est inquit iudicium
 meum. breuiter ut audias. quia filius dñi sum. ut intellegas quia mecum est pater;
 non sic sum filius. ut ipsum deseruerim. non ita hic sum. ut cum ipso non sim. non
 ita ibi ille est. ut mecum non sit; formam serui accepi sed formam dñi non amisi.
 Solus ergo inquit non sum. sed ego & qui me misit pater; De iudicio dixerat. de
 testimonio uult dicere; In lege inquit uestra scriptum est. quia duorum homi-
 num testimonium uerum est; Ego sum quidem me testimonium perhibeo. & tes-
 timonium perhibeo de me qui me misit pater; exposuit illis & legem si in gratia
 non essent; Magna enim quaestio est fr̄i mei. & ualde mihi uidetur in myste-
 rio res esse constituta. ubi dñs dixit; In ore duorum uel trium testium stabit
 omne uerbum; Veritas quaeritur per duos testes; ita plane sic se habet humani
 generis consuetudo. sed tamen fieri potest. ut & duo mentiantur; Susanna cas-
 ta duobus falsis testibus urgebatur; Nam quid quia duo erant. ideo falsi tes-
 tes non erant. De duobus dicimus. aut de tribus. uniuersus populus mentitus
 est contra xpm; Si ergo populus constans ex magna hominum multitudine.
 falsus testis inuentus est. quomodo accipiendum est! in ore duorum uel
 trium testium stabit omne uerbum. nisi quia hoc modo per mysterium
 trinitas commendata est. in qua est perpetua stabilitas ueritatis. uis habere
 bonam causam; habeo duos uel tres testes. patrem & filium & spm scm; Deniq.
 quando susanna casta femina. fidelisq. coniux. duobus falsis testibus urge-
 batur. trinitas illi inconscientia atq. in occulto suffragabatur; illa trinitas
 de occulto unum testem danielem excitauit. & duos conuicit; Ergo quia in
 lege uestra scriptum est. duorum hominum testimonium uerum esse. accipi-
 te nostrum testimonium. ne sentatis iudicium; Ego enim inquit non iudico
 quemquam. sed testimonium perhibeo de me; Differo iudicium. non differo
 testimonium; Eligamus nobis fr̄i contra linguas hominum. contra infirmas
 suspiciones. generis humani dñm iudicem. dñm testem; non enim dedignatur
 testis esse qui iudex est. aut promouetur cum sit iudex. qm̄ qui testis est.
 ipse iudex erit; quare ipse testis. quia non quaerit alium. unde cognoscat
 quis sit; quare ipse iudex. quia ipse habet potestatem mortificandi & uiuificandi.

damnandi & absoluendi, in gehennas praecipitandi, & in caelos leuindudia
 bolo coniungendi, & cum angelis coronandi; Cum ergo ipse habeat hanc potes-
 tatem iudex est, quia uero ut te cognoscit non querit alium testem; qui tunc
 iudicabit te, modo uideat te, non est unde illum fallat, cum coeperit iudicare,
 non enim adhibes tibi aliquos falsos testes, qui iudicem illum possint circu-
 uenire, quando te coeperit iudicare; **U**t hoc tibi dicit, quando contemnebas,
 ego uidebam, & quando non credebas, sententiam meam non frustrabam;
Differerebam, non aufererebam; noluisse audire quod praeecepi, senties quod pra-
 dixi; si autem audias quae praeecepi, non mala senties quae praedixi, sed bo-
 na percipies quae promisi; ne aliquem sane moueat quod ait, uerum est
 iudicium meum, quia solus non sum, sed ego & qui me misit pater, cum alibi
 dixerit, pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio. Jam quod sit
 in eisdem uerbis euangelii disputaui, & nunc admonemus, non hoc ideo
 dictum, quia pater non erit cum filio iudicante, sed quoniam bonis & malis in iudi-
 cio solus filius apparebit, in ea forma in qua passus est & resurrexit & ascendit
 in caelum; Discipulis quippe tunc conspicientibus ascendentem uox angelica
 sonuit, sic ueniat quem admodum uidistis eum euntem in caelum, id est in for-
 ma hominis in qua iudicatus est iudicabit, ut & iam illud propheticum implea-
 tur, uidebunt in quem pupugerunt; Cum uero euntibus iustis in uitam a eter-
 nam uidebimus sicuti est ^{uid} iudicium uiuorum & mortuorum,
 sed premium tantummodo uiuorum; Item ne moueat quod ait, in lege
 uestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium uerum est, & ideo
 quisquam existimat non fuisse illam legem dei, quia non dictum est, in lege
 dei. Sciat ita dictum esse, in lege uestra, tamquam diceret, in lege quae uobis est
 data, a quo, nisi a deo, sicut dicimus panem nostrum cotidianum, & tamen dicimur
 danobis hodie;

INCIPIT SERMO XXXVII

**AB EO QUOD DICTUM EST, DICEBANT ERGO UBI EST PATER
 TUUS, USQUE AD ID QUOD AIT, ET NEMO ADPREHENDIT EUM,
 QUI ANTEQUAM UENERAT HORA ETIUS.**

Quod in saeculo euangelio breuiter dicitur, non breuiter oportet expo-
 ni, ut quod auditur intellegatur; uerba enim domini pauca sed magna
 sunt, non numero aestimanda sed pondere; nec ideo contemnenda,
 quia pauca, sed ideo querenda, quia magna; qui adfuitis hesternodie
 audistis, ut potuimus disputaui, ex eo quod ait dominus, uos secundum carnem
 iudicatis, ego non iudico quemquam, sed & si iudico ego iudicium meum uerum
 est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater, in lege uestra scriptum
 est, quod duorum hominum testimonium uerum est, ego sum qui testimonium